

Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis;
 Usus opus movet hoc: vati parete perito!
 30 Vera canam: coeptis, mater Amoris, ades!
 Este procul, vittae tenues, insigne pudoris,
 Quaeque tegis medios instita longa pedes!
 Nos Venerem tutam concessaque furta canemus,
 Inque meo nullum carmine crimen erit.
 35 Principio, quod amare velis, reperire labora,
 Qui nova nunc primum miles in arma venis!
 Proximus huic labor est placitam exorare puellam;
 Tertius, ut longo tempore duret amor.
 Hic modus: haec nostro signabitur area curru,
 40 Haec erit admissa meta premenda rota.
 Dum licet, et loris passim potes ire solutis,
 Elige, cui dicas 'tu mihi sola places.'
 Haec tibi non tenues veniet delapsa per auras:
 Quaerendast oculis apta puella tuis.
 45 Scit bene venator, cervis ubi retia tendat,
 Scit bene, qua frendens valle moretur aper;
 Aucupibus noti frutices; qui sustinet hamos,
 Novit, quae multo pisce natentur aquae:
 Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
 50 Ante frequens quo sit disce puella loco.
 Non ego quaerentem vento dare vela iubebo,
 Nec tibi, ut invenias, longa terenda viast.
 Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,
 Raptaque sit Phrygio Graia puella viro:
 55 Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,
 'Haec habet,' ut dicas 'quidquid in orbe fuit.'
 Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
 Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
 Quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas;
 60 Mater in Aeneae constitit urbe sui.
 Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis,
 Ante oculos veniet vera puella tuos;
 Sive cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt.
 Cogaris et voti nescius esse tui: